Universitätsbibliothek Paderborn

# Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi

Clagius, Thomas

Coloniae Vbiorvm, 1659

X. Ipsae Calendae & Nonae Mensis Junii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11544

Visual Library

denſem promiſit. Revaluit, & communi totius paciæ cætui admixtus, quod promiſit, lætus exolvit: illa verò totam hyemem cum morbo conflictata, omnibus aliis remediis Lindenſia prætulit: quibus mox adjuta, ceream Deiparæ effigiem, uti promiſerat, dedicavit.

## XIV.

### Iterum quidam Meelſaccenſium beneficia experti.

Ioannes Blum, & Andreas Vogel Meelſaccenſes, hic quidem periculoſâ ſex circiter hebdomadarum febri, ille verò diuturniore morbo graviter conflictatus, ſimul ac votum peregrinationis Lindenſis ſigillatim edidêre, viribus & ſanitati priſtinæ ſunt reſtituti. Sed & Catharina Ioannis Radig ex Lichtenau, ejuſdem municipii pago conjux, latus utrumque ingenti duarum hebdomadarum cruciatu affecta, quam primùm peregrinationis Lindenſis votum nuncupavit, omni cruciatu expedita, decem leucarum iter ſana & alacris expedivit.

## CAPUT X.

### Ipſæ Calendæ & Nonæ menſis Junii.

MEnſi Iunio nomen ſive à Iunioribus impoſuerint veteres, quemadmodum & Majo à majoribus, ſive à Iunone; Macrobius cum cæteris ſanè diſquirat (a) nobis apud Lindam Marianam & à Iunioribus, hoc præſertim anno, quibus cum vita vi-



(a) lib. 1. Saturnal. cap. 12.

ribusque ipſam quodammodo Deipara juventutem reſtituit, & ab auguſtiſſima Dei Matre, quæ nō modo, uti fabuloſa Juno, & ſoror & conjux, verùm & filia, & ſponſa, & Parens eſt Tonantis, nomen poſſideat. Quòd ſi Cal. hujus menſis fabuloſum itidem nomen potius quàm Numen Carnæ, quæ eodem Macrobio teſte (a) viſceribus vitalibusque humani corporis præſidere credebatur, occupavit, quantò eas juſtius Dei Matri à qua non vitalia duntaxat, verum & ipſa mortalium vita, quemadmodum hoc præſertim anno vidimus, conſervantur, vindicabimus?

## I.

### Tres Fæminæ non catholicæ ob varia Deiparæ beneficia, vel ſibi vel ſuis præſtita, gratias agunt.

Ipſis Junii Calendis, ex Dombrowka Rheinenſis caſtri pago, quinq; leucis Linda diſſito, fæminæ tres, quamvis non catholicæ, non vota modò ſua, verùm & conſtantiſſimā in cultu Deiparæ voluntatem exhibuerunt. Et quidem Roſina Michaëlis Poturny defuncti jam coloni uxor, non ſuum, ſed vicinæ ſuæ Libertinæ Zawadzka filiolum quinquennem comitiali morbo graviſſimè correptum, B. Virg. Lindenſi obtulit, & ſanum extemplò parentibus reddidit. Neque verebatur proximis aut vicinis ſuis, nova apud Lindam beneficia poſcere, quæ filiam quoque ſuam ante quindecim circiter annos periculoſè ægrotantem eidem obtulerat, & ab eo tempore ſanam huc-uſque cum gaudio intuetur; ut à domeſtico exemplo atque

(a) *loc. cit.*

que experientia, ad aliorum quoque ſalutem non
na ſpe atque fiducia erigeretur. Jam verò Anna
functi Adami vidua, dextrum brachium à quatuor
nnis paralyſi fortaſſe tactum, remediis nequidquam
hibitis curavit: non multò igitur ante, curam o-
nem B. Virgini Lindenſi commiſit, & ſingulare ex-
ta auxilium, ceream brachii effigiem, inter alia
donaria, eidem dicavit. At Helena Adami Zbozuy
filia octodecim circiter annorum Virgo, immani ul-
cere pedem ſiniſtrum ab uno fere anno inſidente, ut
majorem hyemis partem decumbendo fere coacta
ſit transigere; ubi vicinorum conſilio votum Lindam
nuncupavit, recepta exinde ſanitate votum hodie
cum magna animi conſtantia reddidit. Cùm enim
quædam itineris huius comitum, ne fortè proderen-
tur, & quod Lindæ fuiſſent, à Prædicante ſuo plecte-
rentur, admodum vereretur, Helena virili prorſus a-
nimo, prodar, inquit, & plectar; quin & ad palum à
Prædicante alliger: nihil iſta mihi curæ ſunt, præ-
ſertim cùm non hac ſolùm vice, verum & jam diu
ante per annum ægrota atque tumore diſtenta, à
B. V. Lindenſi curata fuerim.

II.

Periculo mortis pater & filia exempti.

Eadem die Matthæus Wichman ex Beerwald
Meelſaccenſi pago colonus, unà cum conjuge
Eliſabetha & Juſtina filia, ut vota ſua &
gratias Deiparæ perſolverent, grati ſupplicesque
advenerunt. Matthæus enim, cùm alio morbo
gravi, tum ad eum morbum febri accedente, pro-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ximo vere periculum vitæ incurrerat, neque aliis, niſi B. Virginis, ad quam uxor pro mariti ſalute votum fecerat, auxilio reſtitutus eſt ſanitati. Iuſina verò Ioanni Gehrman in Golangen pago nupta, ſupra hebdomadas ſeptem incurabili morbo, per æſtatem proximè elapſam depoſita domiquè ſuæ nequidquam curata, ad maternam denique domum deportari in lecto debuit; ubi tum admotis B. Ioannæ granulis, tum potiſſimùm voto ad B. V. Lindenſem nuncupato, brevi convaluit.

## III.

### Arthritis curata.

Quartam Nonarum Iunii diem Plauſenſium & Linglacenſium proceſſio annua, tertiã verò ſtudioſorum Reſſelienſium menſtrua, VVuslacenſiũ verò annua illuſtrarunt: at pridie Nonarum tum Sturmhublenſiũ Pleſenſiumq; proceſſio, tum arthritis Benedicto Fromm Olbersdorffenſis coloni famulo, ſed Vormdito oriundo depulſa, candidum diei calculum videtur adjeciſſe. Omnium uſu membrorum deſtitutus erat, ut per hebdomadas aliquot neque cibum ſumere, neque loco movere quoquam ſe poſſet. Parentis ſui conſilio votum peregrinationis Lindenſis ad avertendum malum fecit, & mox viribus ſuis reſtitutus, ceream candelam, grati animi momentum, hodiernæ peregrinationi adjecit.

IV.

## IV.

### Plures Roſengartenſium, è Meelſaccenſi Colonia variis morbis aut periculis liberati.

Anna Gregorii Schultz uxor, capitis oculorumque dolore vehementer diſcruciata, videndi facultatem propè amiſerat. Oculis interea animi, ad B. V. Lindenſem reſpexit, & poſtquam votum peregrinationis ad eam concepit, etjam ſolis lumen reſpicere atque intueri clarè cæpit. Verùm cùm ſuperiore anno idem morbus recurriſſet, ita ut dolores per ſex hebdomadas regnarent, videndi verò uſus per quindecim eriperetur dies, iterum Lindam voto recurrit, iterumquè uſum recepit oculorum. Petrus Hohendorff colonus ſive febri, ſive alio ignoto morbo nimiùm ſuperiore anno afflictus, ægerrimè progredi operis autem nihil omnino potuit aggredi: ſupplice voto Divam Lindenſem aggreſſus, priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt. Regina Petri Lunau uxor gemellos uno partu, maximo ſuo periculo, effuderat. Inde enim tumore aliiſquè morbis variis obruta, ut per octodecim hebdomadas, ſuis viribus vix tantillum commovere loco membra initio poſſet; tandem eò ventum, ut quocunque tandem vel pes vel manus aliorum operâ collocarentur, ibi prorſum hærerent immoti. Adhibita ſunt varia, ſed incaſſum præſidia: quoad ægra conſilium quorundum ſecuta Lindam ſe peregrinaturam ſpopondit: ab eo momento ſenſim omnis mali vis remiſit; & illa beneficii accepti memor atque grata, peregrina-

tionem, ubi primùm potuit, abſolvit. Abſolvit unà & Benedicta Schwartz, uxor, cùm ſuo tum mariti ſui nomine. Nam & ipſa octo ante annos partui proxima, brachium, ut plerique cenſebant, luxatum, neque intra lectum confovere, neque ſervare aut pati intra tectum ullo modo potuit; coacta ſub dio dies ac noctes perpetim illud agitare. Adhibitis fruſtra omnibus chirurgorum præſidiis, cùm aliunde ſpei nihil affulgeret, quintâ à partu hebdomadâ, votum in genua provoluta Lindam fecit; ac momento eodem recepto brachii uſu, non modo intra tectum ſervare illud, verum & ori admovere, ac verſare omnes in partes potuit. Tantum præſidii Lindenſis, beneficiorumqúe Deiparæ experimentum cùm in ſe haberet, haud gravatè eosdem beneficiorum fontes in mariti ſui ſalutem derivari ab ſe poſſe credidit. Decumbebat ille omnium artuum, præſertim verò pectoris & laterum cruciatu extremè afflictus, uxor ejus causâ peregrinationem Lindam vovit, ſubitoqúe de redditâ marito ſalute gaviſa, duodecim circiter leucarum iter ingreſſa, ferè totum pedes abſolvit. Denique Vrſula Laurentii Glauken ex Schonſee filia, ſed in eodem Roſengartenſi pago coloni cujusdam ancilla, præ nimio oculorum dolore, per hebdomadas tres vix aliquid jam cernere potuit; ubi peregrinationis Lindenſis votum fecit, viſum confeſtim recepit, & in aliorum octo comitatu peregrinationem ſuam pedes expedivit. Quæ omnia Gregorius Borchert ejusdem pagi præfectus, qui etjam voto ab ſe nuncupato defunctus eſt, vera eſſe,

na eſſe, multis corá audientibus, ſanctè eſt atteſtatus.

V.

Vni capitis dolor atque amentia, duobus febris depulſa.

Ioannes Stephani, è Sonnenwald Meelſaccenſi itidem pago Ludirector, frequenti & gravi capitis cruciatu à teneris, ante quinquennium verò etjam inſaniâ per hebdomadas ſeptem laborârat; ut eo tempore extra ſenſum æque ac ſpem vitæ poſitus eſſet. Simul verò votum Lindam concepit, omnem ſimul & corporis & ſenſuum incolumitatem recepit. Qua ille de causâ ut gratias impenſiùs agat, quovis exinde anno peregrinationem Lindam repetit. At verò Ioannes Pauli ex minore Gawlik in Pruſſiæ Ducatu molitor, ejusdemqúe uxor Marina plus medio anno ex febri decubuerant: cumqúe illis præſertim in medio hæreticorum verſantibus, nullum in terris affulgeret præſidium, de cælo per B. V. Lindenſem quærendum ſibi ſtatuerunt, facile ſub tantâ Patrona quærentibus adfuit. Vterq; ſanitati redditus, votum Deiparæ uterq; hodie apud Lindam reddidit.

VI.

Plures Plaſtuicenſiũ, è Meelſaccenſi itidem municipio, pro variis curationum gratiis receptis gratias Deiparæ Lindenſi agunt.

Ipſæ Iunii Nonæ præter alios peregrinos è Meelſaccenſi Coloniâ plures exhibuerunt, & hos inter, magnam partem Plaſtuicenſes, variis à Deiparæ Lindenſi beneficiis affectos Ex iis. Martinus VVill ſiniſtri oculi uſum, quatuor ante annos prope amiſerat; ut nonniſi ſole clarum lucente aliquid

poſſet

poſſet haurire luminis. Inſtituit, quam voverat, ad B. V. Lindenſem peregrinationem, & mox non ex oculo modò, verùm & è ſiniſtro, quo laborabat, latere meliuſcule cœpit habere. Cùm verò oculus ille necdum ſatis eſſet reſtitutus, ille alteram vovit atque inſtituit peregrinationem, indeqúe perfectum oculi uſum recepit. Quam Deiparæ in ſe benignitatem atque beneficentiam, præſentibus aliis decem viæ comitibus, tum Lindæ, tum in ipſo quoque itinere, variè multumq́; deprædicavit. Ejusdem uxor Gertrudis oculi utriusque uſum ante annum propè amiſerat; viri ſui aliorumqúe exemplo docta ad verì luminis Matrem recurrit, & lumen oculorum, quo per hyemem ferè privata fuerat, recepit. Cujus beneficii causâ, virùm comitata, quatuordecim leucarum iter pedes decurrit. At Barbara Iacobi Lang ex eodem pago filia, annorum circiter novemdecim virgo, ab extremo Decembris ad finem anni proximè elapſi, graviſſimè afflicta, præ acutiſſimis capitis doloribus mente propemodum erat mota. Medicamentis omnibus fruſtra adhibitis, tum ad mentem, tum ad ſanitatem rediit, ubi peregrinationem, quam ad B. V. Lindenſem ſibi indixerat, voto firmavit. Similiter Anna Ioannis Horn conjux, medii anni tertianâ ad omnium uſque profligationem virium exhauſta ſimul votum peregrinationis Lindenſis ritè emiſit, tertianam amiſit. Vnde gratitudinis ergo totum iter pedes confecit, viro ultrò comitante, & pro ſalute conjugis gratias Deiparæ agente. Febri quoque conflictatus eodem in loco ſupra dimidium annum Laurentius Curionis famulus,

cùm

ūm eam hoc anno recurrere perſentiſceret, ipſe quoque ad B V. Lindenſis opem recurrit, omneque periculum febris facilè evitavit. Voti proinde reus, peregrinationem cum aliis pedes abſolvit. Iam verò Catharina Gregorii Radau filia, tres ante annos per ſemeſtre vehementiſſimos utriusque pedis cruciatus paſſa, uſum pedum per aliquot hebdomadas amiſerat, adhibita ſunt varia undique medicamenta, quibus nihil omnino proficientibus profecit votum peregrinationis Lindam promiſſæ. Simul enim hoc fuit emiſſum, ſimul etjam vis morbi ſenſim remiſit. Ergo præter omnium ſpem valetudine necdum ſatis confirmatâ, iter Lindam ingreſſa, quanquam ægrè, tandem abſolvit: at ubi voto perfuncta, ſacello, domum reditura, egreditur, pedum uſum, omni morbo recedente, integrè recipit. Quâ causâ hoc iterum anno peregrinationem eandem repetiit, tum ut pro recepta ſanitate gratias ageret; tum ut defunctæ ante ſeptennium matri apud clementiſſimam Dei matrem, quam ipſa ſibi jam obtinuerat, imploraret opem. In eodem peregrinorum cætu fuit tum Joannes Rogall, tum Dorothea, diverſorum in eodem pago, colonorum obſequiis addicti. Atque ille quidem febri, plus quàm medium annum identidem recurrente graviter vexatus voto Lindam facto eam vexationem redemit. Hæc verò dextrum genu acerrimo cruciatu ante bienniū invadente, ut à feſto Pentecoſtes ad III. Id. Novemb ipſas videlicet S. Martini Epiſcopi ferias, prorſum gradiendi facultate deſtitueretur; per ſuam matrem ad Matrem miſericordiæ Lindam recurrit, continuoque melius habere

habere cæpit Verùm cùm anno vertente morbus reverti iterum videretur, illa non jam per matrem, ſed per ſeſe peregrinationem Lindam uſque obeundam promiſit, ſubitoqúe vis mali integrè remiſit; ut facillimè tantum iter alios comitata pedes decurrerit.

## VIII.

### Alii quoque è Meelſaccenſium municipio, variis à Deipara Lindenſi beneficiis affecti.

Dorothea è Liebenthal pago, præfecti pagi uxor, Chriſtinam duodennem filiam ſuam, cũ cereo anathemate, in pedis figuram efficto Deiparæ voti reã ſtitit. Vtrumq; genu & ſpinam dorſi, & humeros, proximè elapſo menſe Februario, miſerum in modum affecta erat, ut neque progredi, neque conſiſtere, ac ne loco quidem uſquam, niſi aliorum ope, moveri poſſet. Mater non ignara opis apud B. V. Lindenſem cumulatè exhiberi ſolitæ, votum peregrinationis Lindam concepit, eodemqúe propè momento filiam incolumem recepit; & nunc, per tredecim leucarum iter pedes Lindam uſq deduxit. Deduxit Priſca Georgii Gros in VVoppen coloni uxor, Gertrudem infantem ſuam, quam per hebdomadas quatuor morbo incurabili afflictam, ſolo Lindenſis peregrinationis voto curavit, curationiſq; haud dubiæ monumentũ, fictam è cera filiolæ effigiem dicavit. Deniq; Caſparis Lilienthal è pago Palten uxor, comitiali, ut omnes cenſebant, morbo ante octo circiter annos affecta, viro votum Lindam nuncupante convaluit, Cùm autem recurrente anni tem-

empore votum ipſa dependere per ſe non poſſet, vicem uxoris maritus etjam nunc ſupplevit.

## VIII.

### Dentium cruciatus incurabilis curatus.

Meelſaccenſibus, præſertim quibuscum in comitatu Lindam venit, adjungi debuit Gertrudis Laurentii Schrœter, è Damarau Schalmajenſis parochiæ villa, filia: niſi è Brunsbergenſium municipio eſſet, & magnâ inſuper leucâ longius quàm illi à Linda diſtaret. Incredibili dentium affecta cruciatu, eoque in tumorem primùm, deinde verò & in eriſypelas, ut putabatur, deſinente, atque oculi utriusque adimente uſum, Brunsbergam ſe (ut dentem, qui omnium maximè affligebat, curaret evelli) ultimùm expertura remedium contulerat. Verùm tanta erat gingivarum, vi tumoris excreſcentium magnitudo, ut dens ille neque evelli, neque adeò tangi ullo modo poſſet. Cùm igitur neque hoc, neque alia procederent remedia, procedendum illi, de amicorum conſilio, ad commune apud Lindam præſidium fuit. Quò, ubi votum peregrinationis, qua hodie defuncta eſt, ritè nuncupavit, præter omnium ſpem, omni morbo, periculoque perquam gravi imminente, confeſtim levata eſt.

## CAPVT XI.

### Priores Iduum Junii dies.

PRimis Iduũ Junii diebus, ſecundùm ludos piſcatorios

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN